



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus LVI. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

FASCICULUS LVI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 10. lib. Tobia, in quo describitur Fletus parentum Tobia junioris propter diuturniorem ejus absentiam.

N. 372. Considera I.

A Nimam peccatricem, quæ divinò præventa auxiliò & gratiâ incipit, miserrimum vitæ suæ statum agnoscere, in quem se peccandò conjecerat, à cœlesti parente cum filio prodigo peregrinata in Regionem longinquam, iisdem meritò uti posse verbis, quibus longiorem filii sui absentiam deflebat Anna uxor senioris Tobia cap. citatò v. 4. exclamans; *Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere.* Quid enim homo non habet, qui Deum per gratiam habet? Ipse est contra paupertatem opulentia, contra mœrorem lætitia, contra famem & sitim saturitas, contra laborem requies, contra mortem vita: atque hinc regius Vates ait Psal. 122. *Nam etsi ambulavero in medio mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Hoc ipsum paribus confirmat verbis Sophonicas cap. 3. afferens: *Dominus in medio tui, non timebis ultrò malum.* Jeremias mittendus ad tremendos Reges & Principes, ut eorum scelera acri reprehenderet censurâ, poterat meritò capiti suo timere: sed timorem omnem ei absterfit Deus hœc unicò emplastrò: *quia ego tecum sum.* Jacobus Patriarcha, dum paternis ædibus egressus timidam cervicem duro imposuit lapidi, tantam illicò concepit audaciam, ut quidquid tandem in ignoto itinere horridum sibi foret obventurum, nihili duceret, & ridendum potius, quàm timendum. Venerat ei tam heroicus animus à paucis illis verbis, quæ Genes. 28. audierat proferri à Deo dicente: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac Patris tui, & nunc tecum sum &c.* & verò quid unquam mali prudenter timendum occurrat illi, qui omne Bonum sibi conjunctum habet? ò miserrime igitur peccator, à Deo tuo deserte! quid moraris: instar Annæ uxoris Tobia circumspicere, & circumire vias, per quas spes remeandi videtur ad Deum. Vix tales sunt sincera peccatorum confessio, contritio & satisfactio.

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 11. & 12. lib. Tobia, in quo describitur restitutio visus Tobiae mediante felle piscis. Gratitude Raphaeli exhibita medietate omnium rerum, quas attulerant, mercedis loco oblata.

Considera: **S**olida piorum gaudia ex nullo fonte, nisi ex crucibus N. 373. & pressuris nasci: enim verò Senior Tobias visum solò felle, tribulationis symbolò, recepit, perfusus inde ingenti gaudiò, ut prædixerat Angelus cap. 11. v. 8. *uni super oculos ejus ex felle isto piscis. Scias, quoniam mox aperientur oculi ejus, & videbit pater tuus Lumen Cæli, & in aspectu tuo gaudebit.* Spiritus Sanctus supernam dulcedinem, devotis animabus infundi solitam, non nectari, sed melli comparat, asserens Eccles. 24. *Spiritus meus super mel dulcis.* Cùm autem constet: mel ex apibus, pungenti aculeò armatis, ortum trahere; hinc mysteriosa hâc similitudine edocet: Spirituales piorum hominum suavitates ex eorum tribulationibus desumi. Pari de causa charissima Dei Sponsa, cœlesti dulcedine à Sponso suo replenda, testatur: ductam se esse in cellam vinariam Canticorum 4. ut nempe recrearetur succò, qui ex uvis fortiter compressis fluere consuevit. Flos præcedit fructum, fructus autem teste Apostolò Galat. 5. est gaudium, pax &c. sed quinam horum fructuum prævius flos? respondet Chrysoft. in hunc locum scribens: *sicut fructum flos antecedit, sic dolor letitiam præit, & dolori letitia succedit.* Et sicut generoso Duci accepta in bello vulnera magnæ lætitiæ materiam subministrant, sic ipsa calamitas, à Deo Justis immissa, ipsis solatii & gaudii est mater. Hinc Jonas Martyr (ut alios innumeros taceam) natione Persa noctem illam, quam nudus totoque corpore cruentatus in summo frigore exegerat, adeò suavem & jucundam sibi accidisse retulit, ut similem totâ vitâ se expertum esse negarit Suriò teste 29. Martii. Quid dicis ad ista Christiane delicatule? an fortè fruiturus terrâ promissionis quæ melle & lacte fluit supernò, tibi persuades, incommoda deserti non esse sustinenda? an credis: posse te Rachelis amplexibus gaudere sine duro & diuturno servitio? an autumas, tua tempora laurò coronanda esse, quando certaminis locò semper arripuisti fugam? quæso: *non despondeas animum, alloquor te verbis Theophilacti in cap. 2. Corinth. 1. Epist. quisquis audis afflictiones & mala: quanto enim hec exuberant, tanto exuberant*

consolationes. Quò amarius tibi venerit fel tristitiæ, tantò dulcius tibi veniet mel veri gaudii; lacrymas, quas tibi dolor & tristitia extorserat, lætitia absterget, infusa ab eo, de quo canit Ecclesia: & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Dices cum Tobia Seniore v. 17. citati cap. benedico te Domine Deus Israël, quia tu castigasti me, & tu salvasti me.


Confidera porrò: Quàm insignem Doctrinam Raphaël præbeat, Rogatus enim cap. 12. ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, accipere, id constanter renuit, Angelum Dei se esse professus, docturus per hoc: in Angelos Dei homines mutari, qui sine laboris stipendio obirent Ministeria, in salutem proximorum ordinata, quando jam aliunde eorum victui & vestitui satis prospectum sit, Matth. cap. 20. Christus Dominus Parabolam in medium producit, de operariis ad excolendam Ecclesiæ vineam conductis, quos impari licet tempore laborantes, parî tamen præmiò donatos esse testatur. Sed unde hæc ex dispari labore mercedis paritas? videtur eam explicare Evangelium, dum ait: primos operarios nonnisi pactò prius prætiò manus suas operi admovisse: *conventionem autem factâ &c.* posteriores verò existisse spontaneos, ut adeò nullâ mentione pretii mercedisque factâ, sed solùm auditâ vocantis voce: *ite & vos in vineam meam &c.* Jam alacres inceperint sudare. Sententiam hanc confirmant aurea Nazianzeni verba Orat. 40. dicentis: *quantum alios antecelluerint videamus; illi enim non prius crediderunt, & ingressi sunt, quàm illis ex conventu merces constituta fuisset. Hi nullâ conditâ mercede ad laborem accesserunt. Vates regius Psalmô 109. meminit cujusdam diei, quæ virtute splenduerit Sanctorum.* At quænam ista? respondent Interpretes, qui pro *tecum Principium* legunt: *tecum Spontanei*: illam diem refulgere Splendoribus Sanctorum, quâ instar ipsius Dei (absque nulla mercede facientis, oriri solem super Justos & injustos) servi spontanei ministrant, & Sacra operantur in salutem proximi absque ullo temporali stipendio. Rectè igitur admonet Paschalius lib. 3. c. 3. *quisquis Deitatis opus exercet, parî muneris gratiam consecutus, parî muneris gratia sit devotus, ut dispensator potius videatur esse, quàm mercator.* Quid ista audiens cogitas Sacerdos animarum Pastor? qui etsi beneficiò fruaris sat pinguis, tam beneficum tamen te non exhibes, ut quandoque gratis Missam pro salute subditorum legas? & cum Raphaële nil aliud stipendii locò petas, quàm *benedicite Deum Cæli.* v. 6. citati cap. cave; ne temporali nimium inhians præmio, perdas æternum. Do-

Doctrina 3.

Desumpta ex capitibus residuis lib. Tobie, in quibus describuntur Canticum Tobie ejusquè Vaticinium &c.

Considera: **M**E quidem superius dixisse: Seniore[m] Tobiam tam N.374.
 magrè tulisse oculorum cæcitatem, ut Angelo sibi gaudium denunciante furdas aures objecisse videretur, nullum admissurus gaudium, puta tale, quod terrenum & sensibile vocari solet. Cum enim (ut S. Scriptura loquitur cap. 2.) ab infantia sua semper timuerit Deum, & mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum; quòd plaga cæcitat[is] evenerit ei, sed immobilis in Dei timore mansit, gratias agens Deo omnibus diebus vitæ suæ. Hinc cum tristitia sensuali, ex malo tantum corporeo nata, stetit in Tobia gaudium spirituale, sicquè moerente inferiori homine, exultabat Superior, qui tandem cap. 13. in pulcherrimas laudes linguam resolvit, ut sic spiritualis lætitiæ, & debitæ erga Deum gratitudinis testimonium daret extrinsecus, quod omnî tempore intrinsecus fovebat, divinò lumine in anima illustratus, dum oculorum usu carebat in capite. Tale gaudium devotis Deo servis promittens Isaias cap. ultimò asserit: *letamini cum Jerusalem, & exultate omnes in ea, qui diligitis eam: gaudete cum ea, ut fugatis, & repleamini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis & deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.* Quæres autem: ex quo fonte trahatur hoc gaudium? respondent præcedentia Prophetæ citati verba, versu quintò legenda: *audite verbum Domini, qui iremitis ad verbum ejus.* Ergo soli divino timori hoc gaudium, nullis sat explicandum præconiis debetur, prout suò confirmat exemplo senex ille, qui primus meruit gaudium universæ terræ Christum Salvatorem gestare in ulnis, eâ solum de causa, quòd fuerit homo justus & timoratus. Lucæ 2. Christiane Lector quid doles: nullum tibi in terris esse gaudium, tequè ab omni sinistro casu ad eò affligi, ut mori delectet, vivere tædeat. Planè sola divini timoris inopia, moeroris continui causa est. Times quidem, sed instar Petri, qui dum mori timuit, vitam negavit. Times instar Pilati, quod gratiam Imperatoris perdere timuit, authorem omnis gratiæ perdidit. Bonorum temporalium jacturam subire times, sed illum, qui omne Bonum est, offendere non times. Sanitatem corporis aut vitam amittere times, sed vitæ Domino injurius esse non times, verborum

borum Christi oblitus, quibus tam seriò admonet: *hunc time*, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam, tam temporali, quam æternò gaudiò te privandò.



FASCICULUS LVII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. Judith, in quibus describitur Victoriosi Nabuchodonosori Arrogantia, & consilium de obtinendo Dominio totius orbis.

N. 375. *Considera:* **N**Ullum tam enorme flagitium committi à Regibus & Principibus, quod à Populo visum vel auditum non illicò trahat ad parem sequelam instar magnetis. Vix Nabuchodonosor de Rege Medorum triumphans, summum arrogantia & superbia gradum conscenderat, ocius sequaces habuit omnes ministros, quibus parì jam superbià tumentibus teste S. Scripturà capite cit. Placuit Regis consilium de subjugendo universo terrarum orbe conceptum. Qui integram Civitatem toxicò molitur inficere, venenum fontibus injicit, non dubius: eventurum inde, ut illud in omnes aquas propagetur, & per cuncta bibentium colla fluat. Parì proh dolor! astutià utitur Damon: integrum Regnum aut Provinciam venenò criminum infecturus, Principis aut Regis pectori ceù fonti illud primitùs injicit, probè sciens: exinde brevi deventurum in subditos, quos constat ad Regum exempla componi. *Sicut parvus lapis*, ait S. Vincent. Ferrer. Serm. 3. Dom. 20. Pentecost. *solus cadit, & non precipitat alios, sic nec parva Persona, sed magni lapides, id est, persona notabiles exemplò malò multos precipitant.* Erat Pharaoni juratissimò Hebræorum hosti fixum ratumque eos in extremam usque devolvere miseriam; quare operibus luti & lateris illos adjicit, proponens Magistros magnæ authoritatis homines, qui
tum